

(*adducunt*) et ante p. 77, 10 (*brevibus*) fuerant lacuna exhausta sunt. Scriptus est manu nescio cuius viri Itali in usum eorum quos 'humanistas' appellare consuevimus. Primus eius lectiones Schneiderus ex collatione Weigeli volumine tertio suo commemoravit. Quo in libro post Schneiderum tractando quod Schoerl eam rationem elegit, ut quae bonae memoriae esse aliquo modo viderentur lectiones pauciores diligenter examinaret, quae sive negligentia sive consilio depravatae essent non paucae, silentio praetermitteret, probari posse nego; sic certe ne virtutibus quas huic libro adscripsit et vitiis in eadem trutina positae omnino de auctoritate recte iudicium fieret, impedivit. Nam quocumque vinculo librum Vindobonensem cum Marciano antiquissimo coniunctum esse dicemus, quot locos librarius aperte corruerit, modo prava verborum omissione, modo ordine indiligenter perverso, modo tritis et ineptis vocabulis in genuinorum loco repositis, modo aliis vitiis cuiusvis generis illatis, nisi qui vidit haud facile credet. Talium vitiorum exempla cum componere coepissem, in schedis retinere malui, ne praefationem inutilibus rebus onerarem. Sed etiam si negligentiae et inscitiae haec vestigia sustuleris omnia, ne reliquae quidem lectiones peculiare, quibus saepe usus est Schoerl, eam sibi auctoritatem vindicant, quam ille tribuit; maiore enim ex parte leviores sunt, haudquaquam exquisitae, saepius aperta coniectura natae, omnino tales quae ei qui textum retractavit facile quasi ultro se offerebant, nisi quod pauca quaedam videntur exstare ex vetustorum scriptorum libris petita et emendationis causa illata, ut illud est '*a delphini exortu*' (II 5, 13 pro '*a dulpini camortu*', haustum me iudice ex Plinio N. H. VIII 177). Quid quod ex his fontibus etiam apertissimae interpolationes videntur immissae? Cuius rei luculentissimum sane exemplum inveni in secundi libri quinti capituli paragrapho sexta. Bona enim est et indubitata optimi codicis Florentini scriptura haec: '*quae sterilis est vacca taura appellata*', quam simul Festus cum Paulo (p. 450 L.) et glossis aliquot, item Columella confirmant: ubi quae pro '*taura appellata*' in codice Vindo-